

propter diversitatem materiae ejusque colorum, & affectiones, ad leges tamen à naturâ sibi præscriptas.

§. IV. Lumen enim (etiam radii ipsi Solares) ratione diversorum colorum tingitur, quod experientia probat.

§. V. Insuper materia Cometica modò densior, modò tenuior est; sicut inde ex inevitabili quâdam necessitate colores nimium quantum variari debeant, atque nullus Cometa alter alteri, neque ratione coloris, neque luminis, cum gradus densitatis multimodis differant, semper sit similis.

§. VI. Quamquam etiam hæc diversitas multum à diversâ Cometæ à Terrâ distantia dependeat. Etenim quò propius res spectatur, eò distinctius, clarius & lucidius apparet: quântò verò objectum est remotius, tantò etiam colores lumenque obtusius, pallidius & obscurius cernitur: quod ex *Opticis* clarum est.

§. VII. Et hîc jure bono quæri potest: annon pro *Astrologis* hoc faciat aliquid, ad naturam & operationem (si quæ illis attribuenda sit) Cometarum (α .) ex diversis coloribus dijudicandam, tum ad aliquid certius prædicendum vel potius divinandum? Nos fanè judicium hæc in re paulisper suspendimus.

(α .) Lege omninò Libr. VII. *Cometograph.* f. 389.

§. IIX. Id non longè à verò conjecturâ prospicere possumus ex coloribus, cujusnam Planetæ materia in hoc vel illo Cometa potior sit & prævaleat. Uti è contrario etiam exinde haud malè colligimus, sed præter propter, quântâ distantia Cometa ut plurimum à nobis removeatur; hîc quidem modò: *Cometæ (β .) rubicundiores, ignei, majores, maximeque conspicui, plerumque sunt terræ viciniores, ceteris minoribus, obscurioribus & pallidioribus.*

(β .) Vide *Cometograph.* loc. cit.

§. IX. Cur autem non omnes Cometæ, ex certis effluviis, aliorum corporum æthereorum prognati, toto tempore apparitionis constanter eundem servant colorem à naturâ sibi competentem; quoniam certum est, eos omnes de die in diem mutare colorem: id iis de causis fieri putant aliqui (1.) quod Cometæ perpetuo distantiam à Terrâ variant: (2.) ipsa materia in momentum successivè diversissima reddatur. Sed tantum de hoc.